



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio X. De Conscientia in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

TRACTATUS V.
DE
CONSCIENTIA.
PROLOQUIUM.

ARduam & salebrosam de conscientia Disputationem Tibi porri-
go, Amice Lector, eamque Thomæ Sanchez judicio, gravissi-
mam, sive difficultatem spectes, sive utilitatem. Difficilis est,
quia continet celeberrimam de usu & sequela opinionis probabilis
controversiam, multis thesibus, epistolis, apologiis, dialogis, vo-
luminibus hoc tempore calidissimè agitatam. Habet hinc conscientia, ut alias
solet, suos stimulos & aculeos: dum nimirum partium concertantium duces
sua argumenta in Satyricas invectiones exacuunt, cæsim & punctim feriunt.
Quamcunque teneas aut tentes viam, non evades aculeatos hos hystrices &
herinaceos. Insidiantur præterea paritatum laquei & labyrinthi paralogismi,
si usquam, in hac materia ex varia terminorum acceptione & æquivocatione
frequentes. Auget præ omnibus difficultatibus discrimen, à regia & media
virtutis ac veritatis via in periculosas extremitates deviandi, ne vel ex una parte
nimio rigore constringantur, vel ex altera parte nimiam indulgentiam laxentur
conscientiæ, & remotis Divini timoris repagulis aperiatur porta ad innumeras
in morum materia exorbitantias, meritò à gravioribus Theologis improbatas,
& Summorum Pontificum decretis fulminatas.

Est tamen hæc ipsa de conscientia Disputatio ex materiæ dignitate, &
utilitate quoque gravissima, quia (ut appellat Jul. Mercurus) *basis totius*
Theologiæ Moralæ, omnibus quæcunque in humanis actibus occurrunt,
difficultatibus substruenda. Ideo post Actus Humanos hunc quoque de pro-
xima illorum regula Tractatum tibi offero, in quo gravissimorum Doctorum
tam intra, quam extra Scholam D. Thomæ rationes & auctoritatem secutus,
securè & conscientiosè, non tamen nimis rigidè de Conscientia sentire & loqui,
nihil à fanis, & sanctis morum principis alienum dicere volui. Tuum de hoc
esto judicium. Vive & vale.

DISPUTATIO X.
DE
Conscientia in genere.

DImissis Conscientiæ variis acceptionibus à proposito alienis, hoc loco nomine con-
scientiæ intelligimus intrinsecam & proximam Regulam morum, quæ nobis, quid
hic & nunc lege præceptum, vetitum, aut permissum, quid licitum, vel illicitum
sit, innoscit. Ejus mentionem facit Eccles. c. 7. *Scis enim Conscientia tua, quia & tu*
crebrò maledixisti aliis. c. 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Rom. 2.
Testimonium reddente ipsis conscientia eorum. Sic appellatur, vel quia est *cordis conscientia*, solum
hominis

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II,

homini patens; juxta D. Bernard. l. 2. de conscientia. Vel quia, ut D. Antonino videtur, est *concludens scientia*, eò quòd consistat in quadam practica conclusione, & illatio judicio de agendis vel omitendis, vel quia est *cum alio scientia*. Dum, ut inquit D. Th. 1. p. q. 79. a. 13. & de verit. q. 17. a. 2. *addit supra scientiam applicationem scientia ad aliam particularem*. Hujus nunc definitionem & divisionem videamus.

ARTICULUS I.

Quid sit conscientia?

SUMMARI A.

1. *Opinio Antiquorum.*
2. *Definitio conscientia.*
3. *Respondetur ad fundamenta Antiquorum.*
4. *Conscientia non consistit in habitu.*
5. *Non in actu Synteresis, aut scientia moralia.*
6. *Non in actu imperii, sed judicii practice practici.*
7. *Conscientia non tantum respicit actus futuros, sed etiam presentes & preteritos.*
8. *Dictamen conscientie pertinet ad habitum, vel prudentia vel imprudentia.*
9. *Quandam dictamen prudentia sit conscientia?*
10. *Ad conscientiam formandam possunt habitus diversi concurrere.*
11. *Judicium de bonitate vel malitia formalis actuum formandum per respectum ad conscientiam.*

§. I.

Definitio conscientia.

1. **Q**uorundam Antiquorum, ut Henrici quodlibet. 1. q. 18. & Alensis in 2. p. q. 77. fuit opinio, conscientiam non tantum includere actum intellectus, sed etiam voluntatis, eò quòd alia sit Conscientia bona, alia mala; bonum autem & malum morale principaliter ad voluntatem pertinet. Intigare enim ad bonum voluntatis est proprium; sed quis nescit hoc esse munus conscientia? ergo voluntas quoque conscientiam sibi vendicat. Verum cum Angelico Doctore conscientiam intellectui adquatè tribuimus, eamque definimus.

2. Conscientia est *dictamen seu judicium practicum intellectus, dictans quid hic & nunc consideratis omnibus circumstantiis sit vel agendum, vel fugiendum*. Sive: est *regula iusti vel iniqui indicans creature rationali, quid appetendum, quid ve fugiendum sit.*

Dicitur primò: *dictamen seu judicium practicum*: Conscientia quippe, seu proxima regula humanorum actuum, est intimatio aeternae legis, tanquam remota, & supremæ regulæ, à qua omnis morum honestas dependet; sed talis intimatio fit per judicium non speculativum, sed practicum, nempe per sententiam enuntiativam; sine hæc operatio & executio hic & nunc bona, vel mala, concessa vel inconcessa: ergo Conscientia est judicium vel dictamen practicum.

Dicitur secundò, *intellectus*; nam & ipsum nomen scientia, à quo conscientia, & varia conscientia mania, ut sunt, intimare, judicare, præcipere, dirigere, accusare, testari, non ad voluntatem, sed intellectum pertinent. Additur tertio, *quid hic & nunc* &c. quia objectum proxima

regulæ est operatio humana ut exequenda, adeoque ut omnibus suis circumstantiis vestita.

Ad Henrici primum fundamentum Respondetur, Conscientia alia est bona, alia mala intrinsecè & objectivè, vel etiam casualiter & directivè, concedo; in quantum videlicet regula & dirigit operationem bonam vel malam moraliter, ut mox dicitur; intrinsecè & subjectivè, inquam in ipsa moralis bonitas vel malitia intrinsecè recipitur, nego: atqui bonum & morale, quatenus intrinsecè denominant & specificant, pertinent ad voluntatem. Similiter ad secundum distingo majorem: Intigare impulsivè pertinet ad voluntatem, concedo; directivè, intimativè, & præceptivè, nego majorem: sed intigare præceptivè est munus conscientia, concedo; impulsivè nego minorem & consequentiam.

§. II.

Corollaria.

EX præmissis deduces primò. Conscientiam formaliter (1) non consistere in aliquo habitu (2) neque in actu Synteresis (3) aut scientia moralis.

Non primum, tum quia judicium, regula-præceptum, sententia, non habitum sed actum nominant: tum quia habitus vel est innatus, & à natura inditus, ut habitus primorum principiorum, & hic est invariabilis, utpote in ipsa natura rationali radicans; Conscientia autem est variabilis, & quandoque mutatur de opinabili incertam, de erronea in veram. Vel est acquisitus, quo utimur cum volumus: & sic rursus conscientia non convenit, quippe quæ etiam oblectans impellit, arguit, remordet. Vel est intuitus; in conscientia etiam pertinere potest ad ordinem naturæ; & est aliquando falsa & culpabiliter erronea, ac proinde à DEO infundi nequit.

Non secundum & tertium. Quia actus Synteresis sunt prima morum humanorum principia à circumstantiis particularibus præcisa & præcepta communissima, ut *DEUM colere, neminem ledere, honeste vivere, quod suum est, nemini tribuere. Inquit. de Jur. & Inquit. illudq. Matth. 7. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Actus vero scientia moralis, tamen possit esse conclusio particularis ex illis principiis communibus deducta, tamen non judicat, neque regulat actum particularem, ut hic & nunc sub his numero circumstantiis causa, loci, temporis exequendum. Exempli gratia deliberas, an tibi hic & nunc debeat solvere jejunium Ecclesiasticum? scientia moralis

moralis format hunc discursum: Lex Ecclesiastica non ligat cum gravi incommodo: sed periculum probabile sanitatis est grave incommodum: ergo Ecclesiastica lex jejunii cum tali periculo sanitatis non ligat. Iste discursus, quia nondum proximè respicit ipsius personæ individuum operationem hic & nunc exercendam, nondum habet rationem conscientia; sed oportet adhuc particulariùs subsumere: atqui mihi hic & nunc instat probabile periculum sanitatis, vel ex propria experientia, vel medici iudicio: ergo hic & nunc præceptum jejunii Ecclesiastici me non ligat: ergo comedere est licitum: qui demum actus, cum proximè regulet honestatem moralem operationis ut hic & nunc exercendæ, rationem conscientia; obtinet. Unde

Deduces secundò, Conscientiam formaliter non consistere in actu imperii practici, qui exprimitur per verba imperativi modi; *fac hoc*; sed in illo iudicio practico, quod est conclusio consultationis, & præcedit electionem voluntatis. Nempe priusquam voluntas procedat ad operis executionem, duo actus antecedunt ex parte intellectus: iudicium seu sententia de agendis, & imperium; ille actus præcedit & dirigit consensum, & electionem voluntatis; iste verò usum & executionem; ille consistit in conclusione & sententia, quæ infertur ex practico discursu consultativo de electione mediòrum ad prosequendum finem; iste verò in determinativa & præceptiva intimatione, quæ intellectus mandat voluntati operis executionem, ideoque non per modum sententia; & iudicii enuntiativa, sed per modum præcepti exequendi, & per verba imperativi modi, *fac hoc*, exprimitur, veluti cum S. Doct. q. 17. in Tract. de act. hum. annotavimus.

Conscientia igitur non consistit in hoc posteriori actu imperii; primò, quia actus imperii tantum est de re futura; Conscientia verò, ut mox dicitur, etiam de præsentis & præterita. Secundò: quia sequeretur nunquam peccari contra conscientiam, eò quòd motionem imperii practici infallibiliter subsequatur exercitium & executio operis, nisi extrinsecus impediatur. Consistit verò in iudicio practico præcedente electionem operis, hic & nunc inspectis omnibus circumstantiis exequendi. Quod etiam *practico* appellatur comparativè ad illa iudicia, ex quibus deducitur, hæc enim tanquam ad antecedens practici discursus pertinentia, & ipsam particularem operis electionem non regulantia dicuntur speculativa, vel speculativè practica.

7. Deduces tertio: Quamvis Conscientia primario respiciat actus futuros, eandem tamen secundario etiam respicere actus præsentis & præteritos, respectu quorum magis est speculativa, quam practica. Ratio est: quia Conscientia ex primario munere & significato est regula morum, dictans, num actus sit ponendus, vel omittendus, ex quo tamen secundario consequitur, ut vel in ipso opere, vel post opus peractum ipsa sit testis rei bene vel malè gestæ; ibi approbatrix, hic acculatrix: *frenum ante peccatum, flagrum post peccatum*. Quo sensu Apostolus 1. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra*. Et illud antiquum: *Conscientia mille testes*.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Et quia hoc conscientia; testimonium etiam habitualiter perseverat, ideo homines iusti & probi, quibus illa felicitas contigit: *Nil conscire sibi, nullâ palleſcere culpâ*, homines bonæ conscientia; alii contra quos de perperam actis vermis conscientia; rodit; *Oculum quærente animo torrore flagellum*, homines malæ conscientia; vocantur. In quem sensum habitualem sui Scoti conscientiam explicat Herinck disp. 4. sect. 2.

Deduces quartò: Rectæ conscientia; dictamen pertinere ad habitum prudentia;: uti contra dictamen conscientia; non rectæ ad habitum imprudentia;. Nam prudentia est *recta ratio agibilium*, & ab ipsa dirigente provenit omnis honestas operis sub particularibus circumstantiis exercendi; unde quotiescunque operatio est rectè & virtuosè à voluntate elicitæ, vel imperata, prius prudentia, vel naturalis vel supernaturalis communia morum principia ad hæc particulares circumstantias applicans determinat, quid hic & nunc licitè fieri possit, aut debeat, quæ determinatio est ipsa, de qua loquimur, conscientia. Hinc porro ulterius procedit ad ultimum imperium operis exequendi, nisi voluntatis contra conscientiam operantis malitia impediatur. Quia verò contingit aliquando conscientiam errare, & illud licitum pronuntiare, quod à parte rei licitum non est, attendi debet, an error sit inculpabilis, qui adhibita omni diligentia vinci non potuit? an verò culpabilis, qui adverti adeoque vinci potuit ac debuit? Si primum; iudicium conscientia; adhuc erit à prudentia derivatum, veluti si hostiam, quam rationabiliter consecratam existimas, adorandam iudices, quamvis à parte rei non sit talis. Si secundum; illud iudicium conscientia; falsæ erit actus imprudens.

Non ideo tamen quodlibet dictamen morale prudentia; vel imprudentia; est conscientia; sed tunc solummodo, quando seu participatio & intimitatio legis præscribit agenda, vel omittenda. Ita qui contra conscientiam operando peccat, quamvis ante peccatum habeat iudicium imprudens, quo se determinat ad actum peccaminosum (omnem quippe actum peccati in voluntate præcedit error practicus in voluntate) non tamen habet falsam conscientiam, quia objectum malum, quod erroneè prosequendum proponitur, non proponitur per illud iudicium, tanquam ex aliqua obligatione vel permissione legis, sed tanquam ex aliqua comoditate, delectabilitate, &c. prosequendum, aliàs simul respectu ejusdem actus consistentem duæ conscientia; opposita, quod dici non potest.

Deduces quinto, Ad antecedens seu præmissas illius discursus practici, ex quo prudentia; infert practicum conscientia; dictamen posse varios habitus concurrere; unde juxta Doct. Angel. conscientia; dicta, tanquam applicatio scientia; ad particularem operationem. Pater exemplo superius insinuatò num. 2. in hoc discursu: Cui ex jejuniò incumbit probabile periculum sanitatis, licitè non jejunit: sed mihi ex jejuniò hic & nunc incumbit probabile periculum sanitatis: ergo hic & nunc licitè non jejuno. Ecce! Major propositio est actus & conclusio scientia; moralis, deducta

deducta ex illo principio, quod leges positivæ cum gravi incommodo ordinariè non ligent. Minorem format vel scientia experimentalis, vel medica, vel fides humana, quæ quis assentitur medico periculum affirmanti; conclusionem tandem & conscientiam format prudentia.

11. Deduces sextò: In dijudicanda formali honestate, aut malitia operationum non tam esse attendendum ad conditiones actuum prout sunt à parte rei independentè à conscientia operantis, quam prout per conscientiam dictamen exhiben-

tur: cum enim impossibile foret, ut non regula remota Divinæ & æternæ legis in plurimis occurrentis esset à nobis invincibiliter ignorata, ideo dictamen propriæ conscientiam, quod à nemine ignoratur, pro regula proxima immediata ordinatum fuit, ut per illam lex Divina & æterna applicaretur, & quid legi conformè vel difforme esset, indicaretur. Unde in operatione nunquam potest esse peccatum formale contra legem, nisi cum legis obligatio reductur in conscientiam.

ARTICULUS II. Quotuplex sit conscientia?

SUMMARIA.

1. *Vulgaris divisio conscientiam in 5. membra.*
2. *Conscientiam certam, veram, erroneam, probabilis duplex acceptio.*
3. *Aliter conscientiam appellatur ex objecto, assensu, & iudicio præsupposito.*
4. *Conscientiam ex objecto adequatè dividitur in bonam & malam.*
5. *Ex modo assentiendi in certam & opinativam.*
6. *Ex seipsa in veram & falsam.*
7. *Conscientiam dubiam non est formaliter conscia.*
8. *Deposito dubio conscientiam tantum potest esse extrinsece dubia.*
9. *Reductio conscientiam timorata & scrupulosa.*

§. I.

Varia divisiones & acceptiones conscientiam?

1. **V**ariæ sunt divisiones conscientiam. Communior est in quinque membra, in veram, quam etiam appellant *rectam & certam*, in *erroneam, dubiam, probabilem seu opinativam, & scrupulosam*. Cui addi potest divisio conscientiam in *bonam & malam*. Vera conscientiam est, quæ est conformis objecto & iudicat esse licitum, quod est licitum. *Erronea*, quæ est difformis objecto, & iudicat licitum, quod est illicitum, vel contrà. *Dubia*, quæ circa utramque partem contradictionis suspendit assensum, & si hoc ex nullius motivi pro utraque parte apparentiâ, dicitur *negativè dubia*; si ex æqualibus mediis & motivis positivis pro utraque parte, dicitur *positivè dubia*. *Probabilis seu opinativa* est, quæ uni parti contradictionis adheret, cum formidine tamen oppositi. *Scrupulosa* est, quæ ex nullis vel ex levissimis fundamentis concipit formidinem peccati. *Bona conscientiam eadem & recta* est, quæ præscribit honesta; *mala* est, quæ erroneè præscribit, aut tolerat inhonestâ & illicita. Ad discriminanda huius divisionis membra, & bonitatem discutiendam
2. Observandum est primò; conscientiam certæ, veræ, erroneæ, probabilis significationem in duplici sensu accipi posse. Nam certa conscientiam potest significare vel certitudinem ex parte objecti, & sic coincidit cum conscientiam vera, & opponitur falsæ; vel certitudinem ex parte assensus, & sic opponitur opinativæ, quæ habet formidinem oppositi. Conscientiam vera potest dici talis

vel solum formaliter & practicè, vel materialiter & formaliter, speculativè & practicè simul. Vera erit formaliter & practicè tantum, quando habet iudicium conformè cum objecto practicè considerato, prout subsistat rationabili opinionem & iudicio intellectus, licet objectum à parte rei alter se habeat; ut si Sacerdos iudicet penitentem absolvendum, quem rationabiliter iudicat esse contritum, quamvis à parte rei non sit verè contritus. Erit etiam vera materialiter, & speculativè, si sit conformis objecto, ut est à parte rei. Tandem conscientiam duplici modo potest dici opinativa, probabilis, dubia, nempe propriè, & ex ipso conclusionis assensu, vel secundò improprie ex iudicio præsupposito.

Primo modo conscientiam opinativa, vel dubia nunquam est sufficiens regula operandi, ob incertitudinem assensus, & actuale vel radicale formidinem peccati. Secundò modò potest esse regula operandi, quia cum dubio & opinione speculativa ex parte iudicii præsuppositi, stare potest iudicium certum & fixum de honestate operationis, ut ex dekursu patet.

Observandum est secundò; conscientiam appellationem & divisionem accipi posse tripliciter; in primis ex objecto, deinde ex modo assentiendi objecto, tertio ex iudicio præsupposito, ex quo descenditur ad ipsam conclusionem conscientiam. Si conscientiam spectetur ex objecto, tunc alia est vera, alia falsa, alia bona, alia mala. Ex modo assentiendi & tendendi in objectum, alia est certa, quæ certum sine formidine præbet assensum; alia dubia, quæ suspendit; alia opinativa, quæ quidem etiam præstat assensum, sed cum formidine oppositi. Ex iudicio speculativo præsupposito solet conscientiam frequenter appellari affirmativa, vel probabilis, non quia ipsum ultimum iudicium conscientiam sit merè opinativum habens formidinem oppositi, sed quia iudicium speculativum præsuppositum, in qua ultimum conscientiam iudicium radicatur, est tantum probabile. His positis quæritur, quanam divisio conscientiam sit adequata?

§. II.

Assignantur adequatæ divisiones conscientiam.

Dicendum primò. Conscientiam ex parte formalis objecti, à quo specifiatur, adequatè dividitur.

dividitur in bonam & malam. Nam conscientia regular & dirigit operationem humanam sub ratione bonitatis & malitiae moralis, quae proinde in operatione subiecta conscientiam extrinsecè specificat. Sicut ergo non datur medium inter operationem humanam bonam vel malam in individuo, prout aliunde suppono; ita non datur medium inter conscientiam bonam, de qua Apost. 1. ad Timoth. c. 5. & 19. & malam, quam Apostolus etiam vocat *cauteriatam*, & *inquinatam*. ibid. c. 4. & 2. & ad Tit. 1. 15.

Dicendum secundò: Ex modo assentiendi, adequatè potest conscientia dividi in certam & opinativam. Nam assensus ultimus conscientiae aut est cum formidine, aut sine formidine oppositi; [cum enim hæc sint contradictoriè opposita, inter illa non datur medium] si sine formidine, conscientia est certa (intellige ex modo assentiendi) si cum formidine, est opinativa.

Neque dicas: assensum posse esse dubium. Nam contrà est. Vel intelligis per dubium suspensionem determinati iudicii, uti propriè & rectè loquendo debet intelligi, & tunc ne quidem est assensus, contra hypothefin. Vel intelligis assensum determinatum ad alteram partem contradictionis, cum formidine tamen oppositi & tunc abuteris voce dubii, illudque confundis cum assensu opinativo & probabili.

Dicendum tertio: Intrinsecè & adequatè conscientia dividitur in veram & falsam. Aut enim operatio est talis, qualis dicitur per conscientiam, aut non est talis, nec datur medium: si est talis, conscientia est vera; si non, conscientia est falsa. Quod si conscientia vera rigorosius accipitur pro illa sola, quæ est conformis operationi, tam formaliter quàm materialiter spectatæ, tunc habet pro membro opposito omnem conscientiam seu vincibiliter seu invincibiliter erroneam. Si verò sit conformis operationi solum formaliter spectatæ, tunc conscientia invincibiliter erronea pertinet ad conscientiam veram & rectam, istiusque oppositum erit solummodò conscientia vincibiliter erronea.

§. III.
Corollaria.

EX dictis infero primò: Conscientiam dubiam non esse propriè & formaliter, sed tantum

reductivè conscientiam, & ut Layman vocat, *umbra conscientiae*: quia conscientia formaliter consistit, in practico iudicio, dictamine, regula operandi: atqui dubitans nihil concludit, nihil iudicat, assentitur, dicitur, præcipit, sed hæret ambiguus: ergo dubitans, antequam deponat dubium, non format propriè & formaliter conscientiam. Reductivè tamen dici solet conscientia, quia saltem potest esse inchoatio discursus practici, ad aliquod illativum dictamen tendentis & conantis.

Infero secundò. Cùm conscientia ex depositione dubii vel formidinis transit in certam, non amplius propriè & intrinsecè, sed tantum secundum quid & extrinsecè appellari dubiam, vel probabilem; non enim amplius hæsitatio, vel formido se tenet ex parte ultimi assensus practice practici, quem supponimus esse certum, sed ex parte iudicii præsuppositi, quod respectu istius ultimi tantummodò est speculativum, nec impedit certitudinem, ut ex dicendis constabit.

Infero tertio. Conscientiam timoratam, suspiciosam, scrupulosam facile reduci posse ad dubiam, vel erroneam. Nam quatenus conscientia timorata & suspiciosa ex levibus fundamentis dubitat, utrum aliqua operatio sit licita, pertinet ad conscientiam dubiam, & siquidem deponit suspitione & dubio, remanente solum aliqua speculativa anxietate, operetur, erit conscientia intrinsecè certa: si autem vi istius fluctuationis ad nullum determinatum iudicium procedat, erit intrinsecè & formaliter dubia: Rursus scrupulosa vel ex levissimis fundamentis falso iudicat, aliquam operationem esse illicitam, sicque est erronea; vel nihil iudicat, sed tantum hæsitat inter utrumque sicque est conscientia dubia, eique superaddit accidentalem differentiam anxietatis. Unde patet, vulgarem illam conscientiae divisonem in quinque membra, rigori Dialectico non esse admensam, nec ideo tamen rejiciendam, eò quòd omnes modos circa formandum dictamen conscientiae comprehendat, sitque communi usu loquendi recepta.

DISPUTATIO XI.

DE

Conscientia recta & erronea.

UTramque in unam considerationem jungimus: nam & in obligatione conveniunt, & erronea, si ex invincibili errore procedat, est practice certa & recta, ac tandem oppositorum eadem est disciplina.

